

postea faciendam curavi, vt, quae passim, successu temporis, addenda duxerit Vir eruditus, me quoque haud fugerent. Quo facilius autem obtentu illa fuere, eo minus sum nactus vnicum, quod non innumbris fere scateret vitiis in describendo commissis, tum amanuensium, tum describentium siue ignorantiam, siue negligentiam, prolixè testantibus. Ne illud quidem, quod in manus incidit vltimum, et ob id fere praecipuum, quod in praelectionibus suis, vltimo adhuc semestri institutis, b. AVCTOR adhibuit, ab eiusmodi liberum fuisse mendis, fatis superque, non sine damno, sed sero nimium, comperi. Quibus interim exemplaribus sobrie et cum cura inter se collatis, adhibitis simul plagulis, ipsa b. AVCTORIS manu exscriptis; compendium hoc prelo vtique committi potuit, ita comparatum, vt, quod ad omnia, tum verba, tum contenta, REVSCHIVM sibi vindicare iure omnino possit auctorem. Atque, vel ea ex ratione, nos quidem